

Bibliothèque numérique

medic@

Maugras, Pierre - candidat / Piet,
Guillaume-Louis - président. - An
pueri capit is è truncō divulsi, et in
utero retenti, naturae viribus expulsio
commitenda ?

1778.

*Paris : Parisiis, Typis Michaelis
Lambert, Regii Chirurgiae
Collegii necnon Academiae
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°37*

A N
PUERI CAPITIS
È TRUNCO DIVULSI,
ET IN UTERO RETENTI,
NATURÆ VIRIBUS
EXPULSIO COMMITTENDA?
THESES CHIRURGICÆ;

*Quas Deo Juvante & Praefide M. Guillelmo-
 LUDOVICO PIET, Antiquo Scholarum Præposito, Regie
 Chirurgorum Academiae Consiliario, necnon egrè parturientibus
 egenis à Rege Adjutore constituto, tueri conabitur PETRUS
 MAUGRAS, Augustodunensis, Artium Liberalium in alma
 Universitate Parisiensi Magister, Theseos Auctor.*

*Die Martis primæ Mensis Septembri anno Salutis 1778;
 à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

P R O A C T U P U B L I C O

E T

MAGISTERII LAUREA.

¶¶

P A R I S I S ,

*Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae Collegii
 necnon Academiae Typographi, viâ Cithareâ.*

M. D C C . L X X V I I .



И - А
ПУЛЯ ГАБІС
ДІВІСІДІНІ
ДІВІСІДІНІ
ДІВІСІДІНІ
ДІВІСІДІНІ

ДІВІСІДІНІ
ДІВІСІДІНІ
ДІВІСІДІНІ
ДІВІСІДІНІ
ДІВІСІДІНІ

ДІВІСІДІНІ



D. O. M. THESES CHIRURGICÆ.

*An Pueri capit is è trunco divulsi, et in utero retenti, natura viribus
Expulsio committenda?*

INFANTEM inter obstetricandum capite detruncare infestum sanè opus. Rarum quidem tetur hoc spectaculum, attamen non satis infrequens: quācumque de causā ut ex utero excutiatur fœtus, pedes arripiendi fuerit necessitas, facilē semper absolvendum ne existimes; quandōque contremiscit expertus, si præser-
tim primā vice paritura sit mulier, se verò optatam tacturum metam gloriatur insolens; ad opus se accingit, impavidus; trun-
cum collo-tenūs adducit majori minorive negotio; at caput foras extrudere, səpè səpiùs hoc opus hic labor: vel obstitit perversus fitus, vel nimia moles, vel pelvis angustia, velenique cautelæ de-
fectus (1); futuram tempestatem non præsagiens vires adhibet,

(1) De his cautelis quæ expertum non fugiant, in quibus verò indor-
munt plerunque tirones & infici, dicere non est locus.

(4)

sed frustrà, hæret immobile caput; repagula perfringere acerri-
mè obstinat animo, nervosque omnes contendit, nil frugis dant
nibus inanes, nil progreditur detentum caput; pertinacior fit,
& jam violenti cedunt tractui vertebræ cervicales, luxantur, & à
se invicem discedunt, elongatur colli cutis, & denique avelli-
tur corpus, distractumque caput in utero remanet. Quid in tam
luctifico eventu tentandum, quid Chirurgo supereft agendum?

II.

S i veterum scripta consulueris, nullum ad rem pertinens se
offeret consilium; nil mitum: infantem pedibus apprehensis educi
posse per pauci inter veteres suspicabantur, indèque fatalem hunc
casum, cui sola per pedes fœtūs extractio ansam præbet, præ-
videre non potuerunt. Unus ferè ex antiquis scriptoribus puerum
in pedes conversum extrahi posse docuit Celsus, unus quoque
capitis distracti meminit; & quid agendum *ut Caput ad os vulva compellatur* definit. At quod affert consilium (1), et si inter neotericos
quidam laudavit inconsultè, nos absonum esse censemus. Quid enim proficient valentis hominis suprà imum ventrem
compressiones? Judicent in arte obstetriciâ experti.

III.

INTER recentiores, idest prioris ævi Auctores, nonnulli de
capite in utero relicto dixerunt, & varia varii proposuere me-
dia; hi solam manū opem suadent; fascias & fundas adhibent
alii; rete quoddam sericum quod correxit Valdegrave, invenit
Amand; alii machinas ferreas diversi figuræ & usūs fabrefece-
runt; perfozzo crano cerebrum effundebant alii, sicque depres-
sum & minutum caput, faciliùs extrahendum censemant; alii
denique & ferè omnes ad uncinum configiebant. Quoniam au-
tem experientiâ constitit, rarissimè manu solâ maturi fœtūs
caput ex utero educi posse, & fascias retiaque, speculationis
feturas, caduca esse instrumenta; quoniam uncis, & aliis Machi-

(1) Celsi opera Cap. 29, quâ ratione partus mortuus ex utero excutiatur.

(5)

nis adhibitis, frustrà sudarunt plures; his perpensis, omnes ferè corporis extranei expulsionem naturæ committendam esse demùm confitebantur (1).

I V.

S i ad neotericos spectes, perpauci vi educendum existimant caput in utero retentum; plerique machinas & instrumenta respuunt, & perspicaciores naturæ virium estimatores, illius curæ rem demandant: sic in publicis prælectionibus suadebat Cel. M. Puzos; sic quoque Cel. M. Barbaut, qui & in scriptis varia affert exempla, quæ testantur hanc praxim pluries feliciter successisse; sic in privatis Scholis docet artis decus Cel. M. Levret; sic tum in publicis, tum in privatis prælectionibus Cel. M. Deleurye, qui quoque suam experientiâ fulcit sententiam; sic Cel. M. Thevenot, plurimis in hoc sensu firmior exemplis; sic denique Ill. M. Levret imitator & alumnus Cel. M. Piet, hujuscæ actûs præses, qui pluries in expellendo capite Naturæ solertiam miratus, indè oblatâ occasione, de committendâ soli Naturæ pueri capitî expulsione, coram Regiâ Chirurgorum Academiâ differuit an. 1769. Consentunt ergo omnes; at quâ ratione, quibus fundamentis nititur hæc opinio? Quod dilucidare fert animus.

V.

E X U L A N T non immeritò insulsæ veterum machinæ, aliaque à nuperis procusa instrumenta; unus proponitur uncus; at quod in hujus usu periculi unâ voce conclamat omnes. Hunc solemniter abegit Viardel, illi non sine causâ suam Capiti-traham subrogavit Mauriceau, uncum ejuravit Lamotte, periculosem esse asserit Smellie; neque tuti satis, neque facile applicantur (unci), inquit Roederer, sed labentes parturientem lædunt; vaginulam unco addidit, ob metum dilacerationis, jam laudatus Excel. M. Levret; uno verbo unicuique terrorem inji-

(1) Vide Viardel, Mauriceau, Peu, Lamotte, & alios.

cit ferrea hæc machina , fatenturque omnes , licet à solerti & expertissimo aëtam , nocivam quandoque , imò & sæpe lethiferam esse posse. Præterea nonne multoties in casu de quo agitur , incassum fuit adhibitus uncus ? Libros evolve , non terque qua- terque , sed centies & à pluribus per alternas vices sibi succedenti- bus frustrè injecto , ab incæpto decedere fuit necessitas ; vel si aliquoties iteratis unci immisionibus , immensoque labore & sudore , tandem excussum fuit caput , pudendum , vagina , ute- rus , contusa , inflammata , imò dilacerata putruerunt ; & misera torminibus exhausta , viribusque prostrata , vitam cum morte commutavit ; testes sunt , eheu ! plurimi .

V I.

Ait , inquies , quidquid id est , uncus supereft una in tanto dif- crimine salutis anchora ; cautè injiciendus. Allucinaris , in hunc errorem insurgunt & ratio & experientia. A naturâ solâ forâs eli- minandum esse caput detruncatum suadet ratio ; certè , si nondum maturus sit fœtus , indèque caput oppidò pusillum , illud minori negotio evomet uterus , facile intelligitur : at si fuerit infans novimestris & capito , quâ de ratione non expelleretur corpus ex- terum. Diversimodè in uteri cavo situm jacere potest caput ; namque vel sese offert ponè uteri orificium sinciput , vel occi- put , vel mentum , vel cranii basis , vel vertex , vel denique al- terutrum latus. Si obviâm sint vel sinciput vel occiput , vel mentum , viðtrix haud dubiè erit Natura ; quoties enim primâ in partu sese offerunt hæc capitis partes , nihilominùs tamen , ite- ratis uteri contractionibus , fit partus naturalis ; si verò sint ob- viâm cranii basis , aut vertex , aut è lateribus unum , difficilior erit ejectio , attamen si vim uteri contracilem respicias , nulla tibi supererit sollicitudo ; namque per aliquot horas , plus mi- nùsve , non rarò per diem unum , vel duos , vel etiam tres , opus sumum molitur uterus ; sese coarctando & in contentum corpus agendo , illud urget undequaque , & demùm ad meliorem ac-

commodat situm; tunc quā eminenter pollent fibræ virtutem contractilem adhibentes, in corpus ejiciendum impingunt, & denique deturbant. Nihil extranei retinet uterus, naturā suā inclusum quodcumque adigit, & ad expellendum nititur; quantum autem sit uteri fibrarum robur, quanta energia nemo nescit; præterea, & si fuerat vastum pueri caput, vacuatis vasis, & omnis generis humoribus effusis, minuitur ejus crassities, & facilior evadit expulsio; aliundē lapsū temporis mollescens, & ductile ut ita dicam factum, pelvis diametro fit aptius.

V I I.

Quod merx excogitationis argumentum ne existimes, multiplici constat experientiā; quoties enim frustrā adhibitis mille machinacionum speciebus, caput distractum in utero deserere coactus fuit Chirurgus, quod dum abesser expulit Natura (1). Uno verbo si scriptores legas, tibi palam erit aut cruciatibus fractam mulierem brevi occubuisse, aut si fuit superstes, numquam in re suā desiderem fuisse Naturam, & dejectum totiē fuisse caput; quid amplius? At objicies, nonne formidolosa possunt stipare symptomata? supervenient forsan vel lethalis hæmorrhagia, vel convulsiones; aliundē pelvis aut mendosa, aut angustior, sive absolutè, sive ratione nimiæ capitidis molis, spe omni decidere coget: præterea nonne in tali cunctatione multum imminent periculi, os uteri obseratum viam exituro capiti occludet; insuper è putrido fragmine emanabunt miasmata, quæ sorpta exitium ferent.

V I I I.

Quæ omnia singulatim & obiter perpendamus necesse est. Si imminent accidentia, si urgeant hæmorrhagia, convulsiones, &c. tunc sit axioma: extrema extremis. Notandum autem mille exempla capitidis distracti & in utero retenti varios autores attulisse, attamen inter eos nullus hæmorrhagiæ, nec convulsionum,

(1) Vide Auctores jam citatos, insuper Smellie & acta Reg. Chirurg. Acad. Tom. IV.

nec alterius cuiuslibet mali concomitantis , meminit ; indèque conjicere fas sit gratuitum esse hunc pavorem. Si mendoza pelvis exituro capiti obstet , vel si amplius caput , tunc quoque cunctari beneficium , opem feret Natura ; uteri contraëctionibus trusum caput inter ossa pelvis elabetur successu temporis , ibique impactum si sit & incuneatum forcipe extrahatur. Times ne occludatur os uteri ; dum supererit in hujus cavo exterum qualemcumque , hiulcum tenaciter remansurum constat : tribus , imò quatuor post partum elapsis horis , si dextram in uterum immittere ob coacti sanguinis copiam , aut placentam nondum expulsam , necesse sit , patere orificium testantur omnes : exulet ergo lymphatus hic terror. Denique quoad putridorum emanationem miasmatum , biduo vel triduo , ut jam dictum , caput pueri in utero remansisse extant exempla mille , nulla tamen facta fuit ab uteri vasis sorbitio , neque funesti quidquam est confectum , hinc liceat dubitare an ita fieri possit ; futuram appellamus experientiam. His itaque positis , quid vetat concludere ?

Ergo pueri Capitis è truncō divulsi , & in utero retenti , Naturae viribus Expulso committenda.

F I N I S.